

INI PISONI
undelarum ad Sacra

I. MDCCCLIII

argenteis aliisque honoris
s insignita

7-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

es, tum exquisitis ornamentis
iuxtaque praescripta liturgica

unicae, ideoque



ETUR.

el Lazio,,

II. 500.000

enda

que provinciis conterminis
lificandis

ncreditae fenus rependit
vel per litteras instituit.
oris nomine, sive cuique
summa agatur.
n fructiferas syngraphas;

venditque.
orumque nomine obliga-

olvit.

mittentibus gerit; locaria


i, 21

PRAENESTE, SUBLACI

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:


Alba (cum off. in opp. Canale), Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO (in Aegypto), Canelli, Castelnovo di Garfagnana, COSTANTINOPOLI (in Turcarum Imperio), Derna (in Cyrenaica), Fabriano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Frascati, Frosinone, GENOVA, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovì (cum off. in opp. Carrù), Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANA RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a*) iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b*) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4½%, si mensium duodecim; *c*) parsimoniae fovendae sub specie, annuo fructu 3.60%, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a*) perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutent subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b*) mutuationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c*) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d*) litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e*) exteros numeros negotiator eorumque collybum exercet; *f*) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.



CONSTANTINI PISONI

Pontificia Officina Candelarum ad Sacra

CONDITA AN. MDCCCLIII

pluribusque praemiis aureis et argenteis aliisque honoris
testificationibus insignita

ROMAE - Corso Vittorio Emanuele, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

Candelae ex cera cuiusvis dimensionis, tum simplices, tum exquisitis ornamenti decorae; rigidissimae vel calidissimis caelis resistentes, iuxtaque praescripta liturgie fabricatae, et a S. Rituum Congregatione recognitae.

FACULAE AD NOCTEM, et diuturnitate et fulgore unicae, ideoque
iure proprietatis septae.

COMMERCIO EPISTOLARE OMNIBUS LINGUIS HABETUR.

RES AD ORBEM UNIVERSUM EXPORTATUR.



Ann. IV.

AI

LATI

Pretium annuae s
march. 10; rul
FORNARI docto

Redibitne
cultis ge

Clarissimo viro
Romae Moder
FRANCESIA S. A
Iterum atque
miratione perleg
quae in Alma Re
Quam bene! Qua
niat, ut aliquando
unus nationum o
ponere valeat! Ha
ore et prope dixer
tuo profluxerunt, l
que maxime sum
quod rem optimam
commodam lectori
populi amplissim
plexu teneantur.

Ad omen quod at
cissimum Caput, ab
plusve minusve, om
bus populorum orato
pleterentur, latino a
rari, et pro re nata
consuevisse. Illis er
omnes pene pueri, p
monis elementa, antic

ALTERAS CIVITATES:

a), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, Vasto, Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, Lucca, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in NO, Mondovi (cum off. in opp. Carrù), Montepulciano, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona a), Velletri, Viareggio, Viterbo.

ONES ET NEGOTIA.

omine accipit: a) iuxta quotidianas a facultate quotidie exigendi usque dierum quatuor, lib. 50.000; pro computationibus pariter quotidianis, si sum sex; 4 $\frac{1}{2}$ %, si mensium duos. 60 %, cum facultate quotidie defensio. 300. De maiore vero summa manu septem usque ad lib. 5000; ad dies

partiones compensat duarum personarum tres solvendas; idque pro omnibus tium ad formam, iuxta italicam legem provincia requirentibus subvenit; c) in sub praesidio fundorum publicorum, ivatae; d) litteras emitit ex credito in maxima aguntur; e) exteris numeris in custodiam accipit, pro iisque at. Nummariae sunt.

TINI PISONI
Candelarum ad Sacra

AN. MDCCCIII

et argenteis aliisque honoris
onibus insignita

le, 127-129; Via Sediari, 1-3 - ROMAE

aplices, tum exquisitis ornamentis
tes, iuxtaque praescripta liturgica

gore unicae, ideoque

S HABETUR.
ATUR.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺ ☺

Redibitne latinus sermo cultis gentibus universus?

Clarissimo viro JOSEPHO FORNARI, Almae Romae Moderatori, IOANNES BAPTISTA FRANCESIA s. p. d.

Iterum atque iterum, et mira sane admiratione perlegi novissima illa verba, quae in *Alma Roma* nuperime edidisti. Quam bene! Quam apte! Utinam adveniat, ut aliquando *Almae Matris sermo unus nationum odia ac similitates compondere valeat!* Haec, quae libero prorsus ore et prope dixerim sine mente e calamo tuo profluxerunt, laeto pectore accepi, tibi que maxime sum gratulatus et gratulor, quod rem optimam tamque rebus nostris commodam lectoribus proposueris, ut ita populi amplissimo arctissimoque complexu teneantur.

Ad omen quod attinet, haud te fugit, dulcissimum Caput, abhinc unum saeculum, plusve minusve, omnia publica pacta, quibus populorum oratores res nationum ampleterentur, latino admodum sermone exarari, et pro re nata latine omnes colloqui consuevisse. Illis enim temporibus, Itali omnes pene pueri, post prima nativi sermonis elementa, antiquam linguam Roma-

norum in scholis alacriter arripiebant, atque in ipsa per septem et amplius annos integra litterarum curricula perficiebant. Quae quidem Ciceronis cognitio, etsi sensim in gravi rerum humanarum commercio evanesceret, aliqua tamen in imo unius cuiusque pectore, uti pulcri elegantiaeque memoria perennius remanebat. Itaque haud rarius hunc vel illum saepe referentem audiebas quod puerulus in scholis arripisset, haud dubitans quominus ita tecum posset facilius sermonem serere.

Opportune memini, quod saepe mihi dicere consuesceret Thomas Vallaurius, immortalis ille latinarum elegantiarum sui temporis arbiter, idemque magister meus suavissimus, Anglum quemdam in Italia peregrinantem se offendisse. Quem quum frustra italicice compellasset, itemque gallice, ad ultimum eum latine tentavit. Hic tandem, quum amicam vocem agnovit, hilari vultu alacer respondit, atque ita reviscens ut patrium sermonem audiret, sermones inter se varios longa consuetudine inserere viri illi cooperunt. Arrepta hac occasione saepe saepius magister optimus mores temporum praeteritorum laudibus efferebat, quum patres nostri, latino sermone optime callentes, vel apud exteris gentes peregre profecturi, nullo prorsus labore omnibus saltem intelligentis ingeni viris intelligi posse autumabant.

Non omnes equidem latine loqui possent ut magister ille sapientissimus, sed saltem ut Anglus; qui quum callide familiariter latino eloquio uteretur, et compellere par fuit et respondere paratus.

Ipse autem immortalis ille doctor, qui omnium aetatis suae latinarum litterarum peritissimus haberetur, doctissimos undique viros ad se audiendum invitabat. nostris enim illis temporibus plures vidimus, adveniente potissimum vere, et Gallicos homines Anglosque honoris ergo Vallaurianam scholam adire, ibique sapientes eius acroases vacivis auribus accipere. Quod quidem civitatis decus studiorumque ornementum plane nunc desiderari timemus, quum et ipsa latinae eloquentiae schola admodum sileat, quoniam inter docendum haud amplius Ciceronis eloquium doctores adhibeant.

Neque abs re esse putabo si alia obiter addam. Haud ita multo ante, egregius ille vir, Paulus Boselli, cuius consuetudine antiquius pro sua benevolentia fruor, qui nunc, insigni Italorum decore, ad gubernacula rerum sedet, haec mihi confidenter saepius concredidit. Quotempore Marcus Minghetti, exterarum regni rationum curator, cum rege Victorio Emmanuele II Vindobonam ad Istrum se contulit, ut pro viribus res italicas firmiore foedere reficeret, Germanorum eloquio plane hospes, quo facilius inter se se communicarent, romanam linguam familiariter ac confidentissime usurpavit. « Et quam opportune, - aiebat, - quantoque securius! Et quod puer minime putaram, laetus in mentem revocavi, iterumque commodius in medium tuli. Sic Cicero me denuo ex illis rerum difficultibus mirum in modum liberavit ».

Memoria patrum in Maximo Taurinensi studio, omnes doctores in concionibus ad discipulos habitis, latino sermone utebantur. Illa enim aetate prae ceteris florescebat penitiore naturae studio et litteris Laurentius Martini, doctor tradendae medicinae,

qui, plurimis editis operibus, in quibus effigiem animi sui reliquit, in pleraque eruditiorum collegia ultra fuit cooptatus. Quosdam eius diligentiores discipulos me audivisse adtestor, qui suavissimi praceptoris desiderio tacti, aliquot etiam tum orationum locos memoriter praedicabant, et auream sermonis elegantiam admirati cum sententiuarum sublimitate componebant. Et alieni, Italiā invisentes, fama hominis adlecti, ad eius scholam laetabundi adibant.

Homines novae aetatis, etsi multis praelari studiis, latinarum elegantiarum osores, hanc legem superbe abrogarunt, eotamen consilio, ut scientiae libertati potius consulerent. Ab hac vero capitīs diminutione doctorem latīnae eloquentiae exceperunt, cui relicta est facultas in schola sermonem adhuc latinum adhibendi.

Tunc lingua latina tot disciplinis pollens doctrinisque, ut optime nosti, se se iterum in religiosorum hominum scholas pudibunda secessit. Ibi

*nec iam mortale sonans,
Nec iuvenum curas nec libera vina referre*

consuescens, divinae legis praecepta tradit, sacrorum administros ad exemplar vitae prioris pietate, doctrina, insignes alumnos optime in se animatos effingit, Ecclesiaeque iura, equidem sacro romanorum eloquio, quomodo sarta tecta serventur docet. Hisce in aedibus securum modo crescit aliturque latini sermonis studium: hic enim doctores laudabili constantia in latinas litteras alacriter incumbunt et alumnos discipline suea optime voce et exemplo ad studia efformant.

Et quid de te memorem, dulcissime rerum? Quibus tuum morem artemque salubrem laudibus efferam, qui in Urbe regina, olim gentium magistra, nunc christiana sapientiae, pugnas, atque in duro certamine instas, ut Romanorum sermonem colas eumque ab invidorum calumniis studio vindices atque defendas? Quomodo olim

inter altissimos Asturiae montes, Hispani, ut Maurorum rabiem effugerent, qui universam pene regionem atmis obtinuerant, ignique ferroque barbare vastaverant, focum patriae sacrum virtute condiderant, et inde, longo post tempore egressi, magnis itineribus summoque robore libertatem prius et mox dignitatem recuperarunt, sic fas erit confidere, ut in proximum e parvulis nostris igniculis pro latino eloquio aliqua salutis spes egrediatur.

At, fortasse, mihi subiratus improbae morae verborumque pertaesus me reprehendis dicens: « Missa ista facias, quaeso, quae ad rem non faciunt, sed ad rectum tramitem redi ». Quum multi mihi sint adhuc dicenda, alias, cum tua venia, redibo. Nunc festinanter vale.

Dabam Augustae Taurinorum, postridie 1d. Maii
MCMXVII.

Utrum primis Ecclesiae saeculis fas fuerit christiano viro militiae nomen dare.

Furente quo a triennio premimur immani bello Europaeo, per « protestantiae sectae» asseclas, vulgata est historica thesis, vetitum fuisse primis christianis militare. Eminet inter eiusdem thesis propagatores notissimus ille Berolinensis professor, Adulfus Harnack, qui typis edito libello,¹ probare contendit huiusmodi prohibitio[n]em exstitisse. Cui quidem errori - (error enim est historicus, prout videbimus) - contrarium opposuerunt sententiam catholici viri, et in ephemeredibus de ea passim disseruerunt. Decet ergo, ut et in ALMA ROMA parvam instituamus de hac re disputationem, quum praesertim alma haec

¹ *Militia Christi (Die christliche Religion und der Soldatenbestand in den ersten drei Jahrhunderten).* — Tübingen, 1915.

Urbs, primis christiana Ecclesiae saeculis, gloriosorum militum sanguine late fuerit nobilitata.

* *

Milites¹ constituuntur ad custodiendam et ad defendendam Rempublicam. Ideoque inseparabili cogitatione connectuntur, *milites* et *bellum*, ita ut, si bellum licitum erit, militare necessario illicitum esse nequeat.

Utique quando omnia communia erant in mundo, primis scilicet temporibus post Orbem creatum, neque bella gerebantur, neque ideo militia erat. Ast, successu temporis, regnis constitutis cum certo territorio pro unaquaque republica, et superbia, avaritiaque, ceterisque hominum cupiditatibus dominantibus, belli surrexit necessitas. Sane, quum vim vi repellere cuique, ex naturali iure, liceat (in L. 3, ff. *De iustitia et iure*) et res publica ius habeat arcendi et comprimendi hostiles iniurias, nemo non videt quam naturale exstet licitum esse bellare. At, si bellare, etiam idcirco militiam agere licitum est.

Validissimis hoc probat argumentis Hugo Grotius, in suo classico opere *De iure belli et pacis*,² in quo quaestionem instituit: *An bellum aliquod iustum sit, sive an bellare unquam liceat*. Postquam ibi (n. I-III) *De Naturae principiis primis et consequentiis* disseruerit, scribit (§ I, n. 4): « Inter prima naturae nihil est quod bello repugnet, imo omnia potius ei favent. Nam et finis belli, vitae membrorumque conservatio, et rerum ad vitam utilium aut retentio aut acquisitio, illis primis naturae maxime convenient: et vi ad eam rem si

¹ Miles: quicumque militiam exercet. Et VARRO (4, LL. 16), dicit nomen ortum ex eo quod *trium milium prima legio fiebat ac singulae Tribus Tatienium, Ramnium, Lucerum, millia singula militum mittebant*.

² Traiecti ad Rhenum, MDCCCLXXIII, tom. I, lib. I, cap. II.

opus sit uti, nihil habet a primis naturae dissentaneum, quum animantibus singulis vires ideo sint a natura attributae, ut sibi tuendis iuvandisque sufficient 6. Non est ergo contra societatis naturam sibi prospicere atque consulere, dum ius alienum non tollatur: ac proinde nec vis quae ius alterius non violat, iniusta est; quod idem Cicero (*De Offic.*, I, 2) ita extulit: "Quum sint duo genera decertandi, unum per dissceptionem, alterum per vim, quumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum; confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore,.. Idem alibi (*Epist. Fam.*, XII, 3): "Quid est quod contra vim fieri sine vi possit? .. Apud Ulpianum (Lib. I, § 27, *De vi et vi armata*) est: "Vim vi repellere licere Cassius scribit, ius natura comparatur: apparet autem, inquit, ex eo idque arma armis repellere licere,.. Ovidius dixerat (*De Art. Am.*, III, 492):

Armaque in armatos sumere iura sinunt.

Et inferius, § IV, 1: « De iure naturali ergo, quod et gentium dici potest, satis constat eo bella non omnia improbari. 2. Iure autem gentium voluntario itidem non damnari bella satis nos docent historiae, et omnium populorum leges ac mores. Imo iure gentium introducta esse bella dixit Hermogenianus (Leg. 5, *D. de iustitia et iure*): quod paulo aliter quam vulgo accipi solet interpretandum censeo: nempe ut certa bellorum forma a iure gentium sit introducta, quam formam quae habeant bella, ea peculiares ex iure gentium effectus consequant ... ».¹

In tuto posita belli ac militiae liceitate, sive agatur de bello *ad defensionem* (quo vis per iniuriam illata vi repellitur), sive de bello *ad offensionem* (quo vis infertur iniuriae vindicande causa), notandum est,

aliquot requiri debere conditions, praesertim pro infesto bello gerendo, iuxta S. Thomam (II, 2^{ae}, Q. 40, art. 1, *in corpore*): « Ad hoc - ait - quod aliquod bellum sit iustum, tria requiruntur. Primo quidem auctoritas Principis, cuius mandato bellum est gerendum...² Secundo requiritur iusta causa, ut scilicet illi, qui impugnantur propter aliquam culpam, impugnationem mereantur.³ Tertio requiritur ut sit intentio bellantium recta, qua scilicet intenditur vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur ».⁴

Ast, etiam quum istae adsint conditions, bellum dubio procul geri non potest. Etenim « priusquam bellum instituatur, debet proponi et indicari parti adversae; quae si offerat convenientem satisfactionem, debet acceptari, nec potest iuste bellum inferri, nisi negata satisfactione. Bellum enim debet semper esse ultimum remedium iniuriae vindicande, vel iuris recuperandi, quia bellare non voluntatis, sed necessitatis est; cap. *Noli*, 3, caus. 23, q. 1; ubi ex verbis S. Augustini sic praecise habetur: *Pacem debet habere voluntas, bellum necessitas*, propter ingentia mala, quae secum affert bellum, quum sit perditio substantiae corporis, et animae, ut in *Authent. de armis in princip.* et notat *Glos.*, 1, in *L. unic. Cod. publicae laetitiae*, lib. 12, et ex annot. ad dec. 29. n. 9, p. 8. Rotae Rom.: *Bellum vere Bellua est, et omnia devorat ...*.⁴ Et angelicus Doctor (II, 2^{ae}, Q. 123, art. 5): « Pericula mortis - ait - quae sunt ex aegritudine vel ex tempestate maris, vel ex incursu latronum, vel si quae alia sunt eiusmodi, non videntur alicui directe imminere ex hoc, quod prosequatur aliquod bonum; sed pericula quae sunt in bellis directe imminent ho-

mini propter aliquod bonum, in quantum videlicet defendit bonum commune per iustum bellum ».

Quapropter illa, quae innuimus, si non fuerint conditions et « praeclarissima » observata, sed cupiditate allicti imperantes bellum faciant, male se gerent; nam « inferre bellum finitimus, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere et subdere, quid aliud quam grande latrociniū nominandum est? ».¹

(*Ad proximum numerum*).

JOSEPHUS FAMELI.

GASPAR DECURTINS

Et vir iste praeclarus, superiore labente anno MCMXVI, diem obiit supremum, miro animi dolore percusus, quod tot damnorum colluvies in homines irrueret, quum inter vivendum totis nervis illuc contendisset, ut ipsi bonam commodamque vitam, quoad mortalibus licuerit, et hic in terris haberent!

Hac enim recentiore aetate, quum eo omnes potissimum spectarent, ut laetiores dies agerent, et in melius ac suavius operam suam navarent, aegerrime Gaspar Decurtins ferebat, catholicos insimulari tamquam ab aliqua saltem vitae dulcedine alienos, omnia quaeque mortalia commoda aspernatos, caelestia tantummodo adspiceret. Itaque, veluti divinitus ad hoc esset vocatus, voce is et multis editis volumibus, eo sapienter contendere studuit, ut operarios praeclarissim moneret, posse et, Deo adiuvante, debere sortem suam opere in melius redigere, atque fortunae iniurias

¹ Cfr. TAPARELLI, *Saggio teoretico di diritto naturale appoggiato sul fatto*, Livorno, 1845, *Dissert. IV*, cap. IV, art. 1.

² Ex cap. *Quid culpatur*, 4, caus. 23, 5.

³ Ex cap. *Dominus noster*, 2, caus. 23, q. 2.

⁴ Ex cap. *Apud veros*, 6, caus. 23, q. 1.

⁴ FERRARIS, v. *Bellum*, art. I, n. 14 sqq.

¹ S. AUGUST., *De civ. Eei*, I. IV.

satagentes industria resacire. Et quum, ita ferentibus diebus, res de operariis acris omnino evaderet, ac difficilis in dies atque minax fieret, omnibus admirantibus, in mediam aciem proripiens, audacter pro catholicis dimicavit, et quae tandem possent sibi catholici hac in re usurpare, libero ore est professus.

Plane singularis apparuit Gaspar Decurtins, apud Helvetos natus; qui ab adolescentia in studio rerum socialium, quas vocant, strenue versatus, intra aequales ita coepit explendescere, ut hoc nomine illustres sibi amicitias domi forisque conciliaret; mox, ob ingenii et doctrinae praestantiam ad publica munera admotus, inter doctores athenaei Friburgensis adlectus esset. Tunc acerrimam operariorum quaestionem auctoritate atque vi ingenii actitavit, et ipse publice apud populum atque in magnis doctorum conventibus, tum acerrimis argumentis, a re saepe communi desumptis, tum ab antiquis doctissimisque philosophis, quos pro re nata felicissime in suam sententiam derivare poterat, salutari ingenio defendit. Quum querentes tribunos sociales audiret, ipse sui securus, postquam minantis quoque turbae impetum aliquando sustinuisse, mirum in modum exclamare haud dubitavit: « Cur vos falso querimini vexatos esse atque laceratos? Nulli omnium hae partes querimoniae et miserationis minus conveniunt quam vobis. Nos enimvero omnium officium nostrum praestitimus, ut quam integerrima omnia ad concordiam essent Sed nos christiani, ut priores quondam Christi discipuli, ad bestias damnatur. At ego cum Lacedaemone illo fortissimo dicam: *Plectite, sed auscultate!* ».

Et ita multa sacrarum ac profanarum disciplinarum sapientia enutritus, rem christianam apertissime professus, eam in bonis rerum adiunctis atque in arduis, ab adversariorum factionibus doctrina et auctoritate acerrime vindicavit.

Constantia, patientia et pietatis laude clarissimus, etsi mortalia infra se posita arbitraretur, et caelestia in primis quaereret, christianos artifices, ad quos unice spectabat, adversus improborum calumnias, posse et in terris opere suo et debitratione meliorem sibi frugem comparare docebat. Sic verbo et compluribus editis operibus, novum rerum ordinem catholico nomini faustum felicemque auspiciabatur. Friburgum, ubi vulgo passim rem suam docebat, uti ad disciplinae palaestram, ultro doctiores homines conveniebant, atque hinc veluti a fonte sapientiae rivuli in omnes quasi Europae regiones manabant. Namque, quod ipse modestus inter scholiarum parietes modeste serebat sapienterque profitebatur, ab innumeris doctrinæ suaæ alumnis per ephemerides longe lateque perfusum, non modo diversæ Helvetiae regiones invadebat, sed universam quoque Europam, quæ sublimem doctoris sapientiam admirata, novarumque rerum cognitionem, feliciora in dies auspicia in catholicorum utilitatem sperabat. Haud ignorabat quod sapientissime scripsit sanctus Augustinus de malis quæ saepe undique premunt mortalium conditionem (*De Trin.*, XII, 60: «Prosunt – dicit – ista mala quæ fideles pie perferunt, vel ad emendanda peccata, vel ad mercandam probandamque iustitiam, ad demonstrandam vitae huius miseriam, ut illa, ubi erit beatitudo vera atque perpetua, et desideretur ardenter et instantius inquiratur»).

Parta sic nominis sui celebritate, Gaspar Decurtins in pleraque eruditorum collegia ultro fuit cooptatus. Namque omnes qui suo tempore in re sociali clariores exstant, quorum nomen magni haberetur, hunc florente adhuc aetate, uti magistrum principem praedicare, sibi eum in amicitiam allicere, consiliumque sapientissimum etiam atque etiam postulare in deliciis habebant.

Ubi primum a scholarum disciplina otium erat, tum studii sui cupidine ductus, tum in catholicum nomen honore abreptus, ad omnes doctorum suae aetatis conventus se se conferre consuevit. Sic Moguntiaci adfuit, sic Parisiis, sic denique Rhemis, et Romae atque in pluribus Italiae civitatibus; magnis ubique gentium laudibus exceptus, et in admirationem ipsius Leonis PP. XIII venit, cuius saepe altissimas hac de re sententias sublimiter enucleavit; apud discipulos enim et apud extraneos pontificalia documenta, caelesti quadam sapientia conferta, mirabiliter auditoribus aptabat. Omnium mentes suavitate eloquii tenebat, pectus pervadere voluntatesque quo vellet consuevit impellere. Quum apud lutheranos olim peroraret, animos omnium mirabiliter in se convertit, celeberrimo illo effato: «Fames neque catholica est, neque lutherana; sed universi orbis!...».

Quum ageret quadam die in sociali conventu apud Tigurum, praesente ipso Augusto Bebel, qui præ manibus volumen teneret, quod Carolus Marx conscripsit *De Capite*, ipse, stupentibus omnibus, atque incredibili animorum agitatione, protendens Epistolam Pontificis Maximi, cui est titulus *Rerum Novarum*, exclamavit: «Nos utique seiuncti procedimus, sed eodem ferimus. Et dies veniet, qua universus terrarum orbis altissime proclamabit, omnes pacem ferire et, ut ita dicam, Ausonios coniungi foedere Teucris!».

Hac eius exardescenti veluti iactantia mirum in modum abrepta est gallica iuventus, quae ex illo tempore Friburgensem Doctorem secuta, eximia honoris et voluntatis suaæ significatione ita eum sibi devinxerat, ut semper in oculis ferret.

Et ipse Pontifex Maximus, ut in incoepita pro artificibus lucta alacriter instaret, eius opus etiam atque etiam voce probavit, idque maximis laudibus per litteras extulit. In artificum iuvamen societatem

inire constituit, quae eorum partes ex omnibus hominum ordinibus assumeret. In ea, honoris causa atque admirationis, ipse Leo XIII P. M. adnumerari voluit.

Anno labente millesimo octingentesimo nonagesimo septimo, Tiguri habitus est omnium sociali rei fautorum maximus conventus; et animi olim dissociabiles, Gasparis nostri potissimum virtute, in unam voluntatem coalescentes, concordes eodem tendere visi sunt. Ipse enim eadem semper animis nova spe recreatis, a sociis petere, uti viribus coniunctis otium, pacem, tranquillitatem operariis afferrent, universae reipublicae profuturam.

Haec summa praestantis viri votorum, id constans fuit pro artificibus christianis certamen, hoc demum supremum morientis augurium, ut operarii, melioribus divinitus ferentibus fatis, bonam in laboribus agerent aetatem, eamque commodiorem in dies sperantes, ad aeternam beatitudinem contenderent.

Faxit Deus ut haec vota, tantaque præclarí viri studia fausto exitu quam citissime coronentur!

SENIOR.

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano
anni MCMXVI.

Accepimus, et libenter edimus:

« A d. XVI kal. maias in conventu Ordinis Literarii Academiae Regiae Disciplinarum Nederlandicæ relatum est de XXIX carminibus, quae Amstelodamum missa erant ut de praemio certarent. Horum aureo praemio dignum iudicatum est carmen inscriptum: *Sepulcrum Ioannis Pascoli*, cuius auctor apparuit FRANCISCUS SOFIA ALESSIO RADICENENSIS.

« Praeterea prelo dabuntur decem carmina praestantissima, si poëtae veniam dederint scidulas aperiendi: idque hoc ordine: *Dies anno redeunte festus*; *Ignorati luctus*; *Vivax patriæ memoria*; *Nox natalicia*; *De arundine sacharigena*; *Cæcilia*; *Harlemi Campus*; *Reliquiae*; *Fanum Iovis*; *Ultimi Virgilii dies*.

« Amstelodami, a. d. xv kal. maias 1917.

« K. KUIPER,

« Ord. lit. Acad. Reg. h. t. ab actis ».

Liceat autem nobis addere, hodiernum Amstelodamensis praemii victorem iam ab initio operis nostri fuisse socium nobis dilectissimum ac fidelem, cuius carminibus pluries *Almae Romae* paginas decoravimus; atque ipsius auctoris pariter esse carmen *Reliquiae* inscriptum, in eodem certamine magna laude ornatum. Praeterea carmen *Vivax patriæ memoria*, et hoc praestantissimum iudicatum, auctorem habuisse FRANCISCUM XAVERIUM REUSS nostrum, a quo statim, pro sua humanitate, nobis edendum illud traditum est. Dum igitur ob novum singularis benevolentiae testimonium ei gratias amplissimas et habemus et referimus, ipsi et FRANCISCO SOFIA ALESSIO, qui suum civem clarissimum Didacum Vitrioli tam strenue revocat atque aemulatur, gratulamur ex animo.

A. R.

Vivax patriæ memoria

CARMEN FRANCISCI XAV. REUSS IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO ANNI MCMXVI MAGNA LAUDE ORNATUM.

Est patria tellure mihi nil carius...

*Ecce, senex, natale solum caelumque reviso,
laevo quae, iuvenis, sidere deserui.
Deseruisse pudet, longeque diuque vagatum
pristinus Alsatiae me revocavit amor.*

O patrii montes silvosi, vitiferique
colles, et segetum planior ora ferax,
ter salvete mihi, qui tantas, sponte fluentes,
vestro de gremio fundere nostis opes:
splendida dona, sed heu! saevi nunc Martis ob iram,
tradita qua flammis, qua pede pressa fero!
Ast hiemem sol ut vernus depellit acerbam,
sic oriens abiget bellica damna Quies.
Ocius o moestis, Pax alma, renascere terris,
oppiduloque refer gaudia raptia meo!

Iam (res mira!) mihi videor iuvenescere: rursus
languida membra vigent, vis animoque reddit;
rursus ad haec proprio loca, quae puerile per aevum
(ut meminisse iuvat) trita fuere mihi.

En templum: gravis huic sua frons manet; altaque
[turris]
ferre salutiferam gaudet, ut ante, crucem.
Intus, aquam servat lustralem nobile Labrum,
unde, recens nato, vita renata mihi est.
En cathedram, sacri memorantem verba ministri,
doctaque multisonis organa flare tubis.
Marmoreos habet ara gradus, caelataque fabre
candelabra, mihi cognita clericulo;
sed, quae pulsabam, nunc tintinnabula desunt,
nec tam dulce creant aera novella melos.
Aera tamen, quae turrita super aede locantur,
antiquos reddunt, funibus acta, sonos.
Thesauros avet aedituus mihi prodere templi:
auratos calices, aenea turibula;
serica vela, quibus vis multa intexitur auri,
visa tamen, puer me, nituisse magis;
praeterea, gothicis descripta volumina signis,
artificique manu picta colore rubro:
quae templi custos κευψία praedicat, ac si
nusquam vel toto par sit in orbe decus.

Proxima stat templo schola, qua primas ego leges
grammaticae didici Pythagoraeque notas.

Aula patet: nihil h̄c mutatum; scannula tantum,
cultris icta novis, vulnera plura ferunt.

Vulnus et ipse dedi non unum, scalpere laetus
(mos velut est pueris) nomen ubique meum.

Nomen et indideram libris, ac: « Este - monebam -
este procul, fures! est meus iste liber ».

Stat, nil mota loco, censoria sella magistri;
virga sed inde minax (sceptra docentis) abest;
expulit hanc hodierna procul sapientia, prisci
contemptrix moris, more superba suo.

Europae pendet depicta in pariete forma,
non prior illa tamen, quae mihi nota fuit;

nam Bellona dedit nova mox confinia regnis,
et nova rursus (at heu! uda crux) dabit.
Ipse pusillus eram miles, calamoque sodalem
nitabar stricto vincere quemque meum.
Dura fuere mihi certamina, multaque chartas
imbuit ac digitos sepia nigra meos.
Ut tum sudavi, studiis intentus, et alsi,
ne fieret victrix aemula sedulitas!
utque triumphabam, si praemia forte referrem!
non ita victorem Palma Batava¹ beat.

Haec animo recolens, vicos plateasque pererro
municipes, oculis obvia cuncta vorans.
Prisca manet tectis, nivium ne mole premantur,
arduitas, nidis dives hirundineis.
Gloctorat immenso resonante ciconia rostro,
in veterem turrim vere reversa novo;
gloctorat, et pueros ludentes, stans pede in uno,
spectat, quin etiam more parentis amat;
nam pupos olim genitoribus alite cursu
attulit, eductos littore Niliaco.²
Turbula par impar nunc ludit; nunc ruit arcem,
telorum iactu, pyramidem nucum.
Pars, hinc inde pilam iaciens, certamen equestre
instituit, nullus cum tamen adsit equus;
scilicet is fit eques qui, dexter, missile telum
captat; quive secus, munia praestat equi,
victoremque suo fert dorso, donec equinas
hunc pariter mala sors cogat obire vices.³
Accedens proprius, puerum cum forte decennem
aspicerem, stupeo, rursus et intueor.
« Tu quis es? - exclamo - vere ne es Silvius ille,
quem puerum novi, parvus et ipse puer?
quocum tot chartas, tot scanna scholastica trivi,
tot feci rixas, sospite amicitia?

Ille sed interea senuit; quindenaque lustra
sunt emensa viro, non secus atque mihi ». -
« Silviolus vocor ipse - puer respondet - avumque,
quem memoras, habui; nunc iacet heu! sub
[humo].

Maerens comperio, paucos superesse sodales,
quorum, me puer, copia tanta fuit.

¹ Id est praemium Amstelodamense, in certamine poetico Hoeufftiano decerni solitum.

² Ciconia avis est in Alsacia frequentissima, quae, ut pueri opinantur, parentibus optatam prolem ex Aegypto advevat.

³ Genus hoc ludi, ab equis nuncupatum, apud pueros Alsatinos usitatissimum est.

Messuerat quoque Mors proprius mihi sanguine
[iunctos],
ipsaque venierat patris avita domus.
Paucos, qui superant, igitur complexus amicos,
canos invenio paenaeque decrepitos.
Tum, fallax velut umbra, fugit mea facta iuventus;
atque, senes inter, comprobatur esse senex.
Una lugemus, qui praeteriere, fugaces
annos, et morbos qui subiere citi;
vocibus et querulis hodiernum carpimus aevum,
quolibet elapso tempore deterius.
Adiacet oppidulo tacitus septusque cupressis
campus, ubi sua Mors castra severa tenet.
Saepius huc redeo, qua λέπρα cara parentum
sacra recondit humus, quo ferar ipse brevi.
Hic iuvat aeternam defunctis poscere pacem,
dum loculi spatium metior ipse mei;
hic Patriam meditor meliorem, pura daturam
civibus adscriptis gaudia caelicolam:
gaudia, non senio peritura, nec hostibus ullis
pervia, sed prono flumine perpetua.



VETERA ET NOVA

De navibus in profundo maris navigantibus.

Subaqueae naves an submergibles? -
Quamquam rem unam huiusmodi vocabula designare videntur, tamen iamnunc
mos invaluit, ut ex reconditae propulsionis
minore aut maiore vi, naves ad profundum
mare sulcandum accommodatae, illo
vel hoc nomine discriminentur. Quum
autem servatae propulsionis gradus, cuiusvis
navis rationes in universum modetur,
sequitur ut submergibilem navium
vis maior, longioribus itineribus idoneas
magis eas reddat, proindeque unae fere
ipsae hodie construantur, de iisque vulgo
mentio maxima occurrat.

Inducto autem in latinitatem novo hoc
de re vocabulo, quum in argumento - o
quam nostris diebus praesenti! - aliquan-

tisper insistere velim, non quidem belli-
cam hanc insidiosam machinam per sin-
gulas partes atque rationes describere pe-
riclitabor: longissimus enim fiat; quin-
imo, figuris ad earum illustrationem sup-
peditandis carens, ne percipi quidem facile
valeam. Quum vero finis huius novarum
rerum cum veteribus comparationis ille
sit, ut patrum ausa nonnulla de subaquea
navigatione, ex archivorum silentio eruta,
in vulgus proferam, facere non possum
quin de submergibiliū structura aliiquid
generaliter attingam, quo magis magisque
res in aperto sint.

* * *

Submergibiles naves duobus alveis con-
stant, altero in altero deposito; atque re-
licta fusi specie, qua diu usae sunt, nunc
externam faciem praeseferunt communium
navium, quae ad torpediniferas lin-
tres, seu narcephoras, persequendas adhi-
bentur, quasque ideo theranarcephoras
latine nuncupaverim.¹ Pons per submer-
gibilis longitudinem omnem portenditur,
ita ut classiarii, quum extra gurgites se-
cundo aere navigent, e suis latebris exire
queant. Alveo interiori opportuna aptatur
conformatio, quae, una cum constructio-
nis robore et rerum ad constructionem
adhibitarum excellentia, tantam ei confe-
rat renixus vim, ut ex pressu, a profundo
mari facto, nullam passura sit deformita-
tem. Exterior e contra alveus levis est;
neque est necesse fortiter resistat, quod,
quum submergibilis immersa sit, aqua
intercapedinem duorum alveorum replet;
itaque qui interior est, praesertim si in
plures partes scindatur, nulli pressurae
subiicitur.

Plerumque ad proram missilium cubi-
culus, tormentorum custodia, classiario-

¹ Α θηράω = venando insector: νάρκη = tor-
pedo; et φέρω. Scilicet «(naves) insectantes venando
lintres, quae torpedines ferunt».

rum dormitorium, coquina electricis furnulis instructa, balneae, etc. disponuntur; ad puppim, motores aliaeque machinae, atque trierarchae ceterorumque ducum hospitium. Imperatoria turris ad dimidiam navem instituitur, cunctis instrumentis ad rem necessariis praedita.

Omnis autem norunt, submergibilis demersionem fieri aqua opplendo duplices fundos aliquot, opportuneque deinde adhibendo quae vulgo « altitudinis gubernacula » appellantur; pariterque inter omnes constat, binos motores in navi haberis, quorum alter interna combustionē agitur et est pro navigatione in summa aqua; alter subaqueae navigationi inservit, et electride cietur, propriis « accumulatoribus » genita. Quum accumulatorum vis defecerit, per *dynamum*, scilicet per electricum motorem ipsum, ab altero motore ex combustionē agitatum, instauratur. Huiusmodi vero accumulatorum novus apparatus, et supra aquae superficiem, et in immobilitate est perficiendus. Inde sequitur, ut, dum in opus incumbitur, navis hostium incursibus obvia fiat; atque ideo nocturno tempore talia agitantur.

Haec satis sint ad generalem de hominibus submergilibus notitiam capiendam, utque maiorum conatus ac tentamina, quae mox exposituri sumus, quanti fuerint pro meritis pendantur.

* * *

Est mihi sub oculis opus F. Marini Mersenni, Minimi, Parisiis editum an. MDCXLIV, quod inscribitur: *Cogitata physico-mathematica*, « in quibus tam naturae quam artis effectus admirandi certissimis demonstrationibus explicantur ». In secundo primi voluminis tractatu « de hydraulico-pneumaticis phaenomenis », declarata in propositione XLIX ratione, « ob quam corpus hominis ad quantamvis immersum aquae profunditatem nullum aquae pondus sentiat explicari », duo corollaria deducuntur,

alterum de cingulis pneumaticis, alterum de navibus sub aqua natantibus.

Hic igitur, post revocatam naviculam quamdam a Cornelio Drebello in Anglia constructam, quae sub aquis depressa natabat, monet auctor id diversis modis fieri posse, « primo quidem si navis, cum omnibus quae complectitur, eiusdem cum aqua ponderis efficiatur, ut in quovis sub aqua loco maneat...; secundo si paulo gravior aqua reddatur, ut vel ad fundum usque demergatur, si fuerit opus, ibique subsistat, donec ramorum et uncorum ope collecta sint quae perdita fuerant, et alia peragantur ob quae navis constructa est ».

Addit autem Mersennus: « Quoties nauta redire voluerit ad aquae superficiem, illud ramorum ope, vel etiam sufficienti navi exoneratione perficiet. Clarum est autem, navim undique clausam esse oportere, ne vel aquae guttula in eam ingrediatur, atque adeo ramos, quorum manubria intus fuerint, exterius ita corio impicato inserendos, ut tamen facile moveri possint. Omnino fenestras ex cornu, vitro, cristallo, lapide speculari, aut alio diaphano construendas, ut quaecumque vel in fundo maris, vel in medio fuerint, clare cernantur. Omitto etiam varia terebella, quibus naves hostiles perforentur et immergantur; nec non diversos modos, quibus aer, ne forte corrumpatur ob vapores et halitus interiores, saepius renovetur... Docebit experientia, quae vix inexpertus coniicere possit ».

Ne quis tamen credat nostrum hisce enunciatis unice contentum fuisse; nam in sequenti tractatu, qui est adamussim « de arte navigandi super et sub aquis », navem sub aquis natantem per singulas partes describit; quem ad modum alias videbimus.

I. F.

Auctor abit operis, sed tamen exstat opus.

OVIDIUS.

PRO IUNIORIBUS

De urbanis moribus.

Miserandorum Chlodoaldi casuum eleganti narratione expleta, ne a proposito aberraremus apud vos, ex lectoribus iuniores, omne ferendi punctum miscentes utile dulci, opportunum iudicavimus libellum de moribus vobis proponere, qui *Galateus* inscriptus atque Ioannis Casae nomine - (sive reapse eius auctoris fuerit, sive pars maioris operis Agnoli Pandolfini) - italicice saec. XVI editus, tantum favorem collegit, ut in praecipuis orbis sermones brevi annorum decursu redditus fuerit. Neque ab hisce versionibus sermo latinus abesse poterat; quarum notabilis maxime exstitit quae a Nicolao Fieberto, anglo, exarata est.

Non hanc vero nos pedetentim renovabimus; quin etiam ne integrum quidem Casae textum: tum quod nimis prolixum atque digressionibus saepe obnoxium, tum quia nostris consuetudinibus passim haud respondentem: mores quippe hominum in saecula, imo in dies mutantur, nec omnia ab auctore suo tempore tradita, nostro iam temporis serviunt. Itaque operis retractationem sequi maluimus, quam alter non litterarum minus, quam civilis cultus summus magister, Nicolaus Tommaseus, curavit; nosque speramus vobis, iuvenes, in optimum bonum futuram.

Quum eum iam ingrederis mortalis vitae cursum, cuius maximam ego partem confeci, haud abs re duxi pro meo in te amore ea tibi passim loca monstrare, quo expertus timeo, ne cadas vel erres. Quoniam vero aetate sis teneriore, quam ut subtiliora praecepta capere possis, haec ad tempus magis opportunum differens, ab eo exordiar, quod, etsi leve multis fortasse videbitur, faciendum tamen existimo in hominum usu et consuetudine, ut probus, urbanus, et omnibus acceptus esse possis; quod quidem virtus vel virtutis simillimum est dicendum. Quamvis enim liberalitas, vel constantia, vel magnanimitas maiori sane laude digna sint quam urbanitas et comitas, hae

tamen virtutes fortasse non minori usui sunt quam magnanimitas: nam ipsae, quum quotidiana ac perpetua sit inter homines consuetudo, saepius in die sunt adhibendae; iustitia vero et animi fortitudo et ceterae nobiliores virtutes, rarius; neque liberales et magnanimes homines virtutes exercere suas continue tenentur (immo nemo est, qui saepius id facere possit), fortes autem et audaces virtutem exprimere suam operibus raro coguntur. Igitur quantum illae magnitudine et, ut ita dicam, pondere ab hisce virtutibus vincuntur, tantum has ipsas numero et frequentia superant. Multorum equidem tibi nomina proferre possem, ni dedecret, quos, licet parvi momenti homines, sola morum suavitatis politiorque haec humanitas commendavit atque ad altissimos gradus evexit et longissimo intervallo iis antelit, qui nobilioribus, quas memoravi, virtutibus pollerent. Quoniam vero venustatis atque urbanitatis ea vis est, ut, quorum utimur consuetudine, eorum benevolentiam nobis concilient, sic rusticitas atque inurbanitas odium atque contemptum comparant. Quamobrem, licet nullam poenam leges ab iis repeatant qui contra morum urbanitatem atque humanitatem peccant, graviter tamen animadverti in illos a natura videmus, interdictis hominum commercio ac benevolentia.

(Ad proximum numerum).

I. S. P.

ANNALES

Europaeum bellum exacto Maio mense in Italorum resumpta ex improviso offensione maxime permanavit. Re quidem vera, per frontem tantum haec prolata est, quantum antea nunquam, a Tolmino scilicet civitate ad Adriacum mare. Ad septem Plavae urbis triones incopta, et ad Bainzizza et Sancti Spiritus alpes versa, Plavae ipsius superiora loca montesque Kuk atque Vodicem victore impetu occupavit. Hostis in illam partem haud dubie eam compositam omnino esse credidit; ideoque mobiles acies suas illuc misit; ex adverso, dum

Itali occupata loca muniunt, non minorem vim in Carsica regione experiuntur, atque necopinata coniectione viam mutant, oblique suorum finium lineam, rectiorem reddere student, sibique magis favorabilem ad Hermadae formidabiles rupes oppugnandas. Praecipua huius tatics elementa et recentibus hisce vehementissimae luctationis diebus immutata Italos permanerunt; hinc infesto dextri cornu agmine per Carsicam regionem a se producto, inde acie fortiter Teutonibus resistente, ac simul eorum conatus retundente in frontis centro, hoc est in Goritiana regione, atque in sinistro cornu, scilicet in Sontii fluminis collibus orientalibus. Prolium mare versus natura sua amplificatum est; ex hac enim parte dexterum Italici exercitus cornu ex viciniis Montisfalconis oppidi procedens, minacius ad Hermadae claustra contendit, primaque obstacula, ac deinde subsidia, circa Flondar posita, superavit; superius autem, quum Seli latera attigisset, Jamiani et Brestovizzae valles omnino sibi subiectas tenere valuit. In bellica hac actione quinque et viginti circiter captivorum millia ab Italos facti sunt.

Anglicus incursus iuxta Sensée flumen contra Germanos evectus, ad Bullecourt oppidi expugnationem adduxit; ulterius vero Anglis, qui magnis itineribus, per iter ab Atrebato ad Cameracum, impense processerant atque Cherisy oppidum iam attigerant, paullisper recedendum fuit.

Galli oppidum Craonne collesque alios Augustam Suessonum versus in suam potestatem redegerunt, unaque cum Anglis, hostibus, qui per Souchez flumen regionem a Lievin ad Vimy recuperare conati sunt, victricibus armis restiterunt.

**

Ecquid autem in Russia? Profecto Salustii verba non immerito repetenda sunt: « Dissensio civilis quasi permixtio terrae oriri coepit ». Inter Legatorum Concilium, Executorem Coetum, Concilium parvum, Magisterium vulgo Officium, Administrorum Collegium, alterum alteri prae-

pollere studens, ea facta est confusa et sine ordine moles coecusque acervus, ut res in chaos antiquum prope relapsa videatur. Amici interim vultus sub specie arridet proximus hostis, qui propitiam sibi pacem sperat, Russos a foederatis populis seiungentem; vel saltem non immerito confidit posse se copias alio pro tempore avertere, in Anglo-Gallos Italosque praesertim; quemadmodum iam fecisse certum est. Dicitant huiusmodi grave discriminem a Russicis partibus ordini magis faventibus satis perpensum esse tandem, easque ad cives universos appellasse, ut quisque in patriae supremam salutem ad proprium munus, militare praesertim, fideliter gerendum rediret; indeque iam fieri, ut disciplina, voluptuaria nuper redditia, in pristinum morem gradatim restituatur. Aedopol, si Maii mensis postremi dies iliorum hosce calices adduxerint, Iunius, quem hodie ingredimur, aperiet!

Kal. Iuniis MCMXVII.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Dum omnia tam acerbe convelluntur, silentio transit illorum dierum post saeculum resursus, qui aliter longe lateque commemo- raretur. Centum enim nunc anni sunt, ex quo K. de Drais, mechanicus, machinam excogitabat, quae, **draisinae** nomine ab ipso inventore accepto, hodierna **bicyclula** sive **birota** deinde fuit. *Draisina*, pertica constabat longa pedes octo, solida itemque levi, rotisque duabus, altera post alteram posita, tenuibus et ipsis atque triginta digitos pollices dimetientibus; stapedes praeterea duae perticæ latribus firmiter figebantur, axes rotarum magna sese velocitate volventium complectentes. Superius, firmabatur sedile, parvae sellae ad instar, ubi haerebat viator, qui machinam agebat, ad humum alternis pedibus propellens. Huic bicyclulae primariae formae Mi-

chaud Gallicus utilem immutationem primus apportavit, parvis scabellis ita anteriorem rotam muniens, ut non amplius equiti necesse esset contra humum insistere. At quot, post illud tempus usque ad nostros dies, volucipes iste varietates, quot formas assumpsit, priusquam velocissimus fieret et in multorum, non hominum modo, sed ipsarum mulierum ad communem usum veniret! Quinimo, quae fata antiquae **draisinae** manebunt, quum birotae, quam, vapore actam, **motocyclulae** nomine iam distinctam videmus, electrici motores aut ex alia vi, incognita adhuc, futuri erunt?... Iuverit interim eius centenariam commemo- rationem apud nos celebrare, versus sapidis- simos revocantes, quos Maurus Ricci S. P., peracutus ille non modo Italicus, sed Latinus poëta, texit; quibus et epigramma aliud addi- disset de birota militum, quod nobis qui scribi- mus nunciaverat, nisi atra mors eum a vivis, vi Kal. Februar. a. MDCCCC, improviso sustu- lisset; atque sit huiusmodi revocatio honoris simul atque amoris tributum in magistrum desideratissimum:

I. — BIROTA VELOCISSIMA.

*Aspice; binarum sunt haec portenta rotarum;
Stat mea, qua impellor, vis in utroque pede.
Insilio sellam; vix dura manubria movi,
Sub pedibus tellus aufugit: ecce volo.
Si mihi tunc mulier, simplex aut forte puella
Occurret, costas illico fracta cadet.
Non populo aut plebi facta est haec semita;*
*[nostram
Heroes totam currimus impavidi.
Currimus impavidi, fera gens; iuvenumque
[senumque
Nos iuvat in media rumpere colla via.
Non cornu canimus, sed tintinnabula raro
Pulsantur: damnum displaceat? ipse cave.
Ac nemo e multis ne tum custodibus Urbis
Scribat quem numerum sella homicida gerit,
Vix rupto capite, illiso vel civis euntis
Naso, praecipites tollimur ex oculis.
Sistere sic nemo nos coram iudice coget,
Sic impuniti cras repetemus iter.
Sic nos ridemus leges, ipsumque tribunal,
Sic vespillonum turba frequenter ovat.
O magni! o fortis! iterum salvete iterumque,
Ac natibus vestris sit pia semper humus!*

II. — MULIEBRI BIROTA VELOCISSIMA.

*Tu quoque velocem birotam, romana puella,
In sili, et in cursu femina vince viros.
Vince viros, nulli nasum vel brachia frangens,
Sed tibi sufficiat rumpere crura canum,
Quum te circumstent rabido birotamque la-
[tratu,
Et cupiant suras prendre dente tuas.
Iam zephyri spirant lenes; imitata Camillam
Da vestem zephyris, atque, age, curre viam.
Ridebunt pueri, ridebunt forsan et ipsae
Dum tua matronae splendida facta vident.
Et ridebit anus, bucca imbecillis hiante,
Ostendens turpes et sine dente genas.
Sed tu firma mane, nullo perterrita risu,
Teque heroinam denique turba canet.
Te non impedian currus, electrea virtus
Quos agit, oh quantis fulgida principiis!
Nam tu dum curris, currit tua fama per
[Urbem;
Certatim iuvenes te celebrare student.
Horum si quidam currentem accesserit, ultra
Ipsa cade, et dextra tum pete subsidium.
Is dextram cupidus cupidae tibi tendet, et hora
Quum vobis aderit iungere coniugium,
Vos bini in birota tandem procedite ad aram,
Vos, quibus inspirat talia laudis amor.*

Venustissima equidem atque amoenissima carmina; at quo lepore affluit adverbium illud tandem, quo ipsi concluduntur! Notum est enim hoc vocabulo et birotam duo continentem sedilia vulgo nuncupari.

**

Qui horrendi, quo affligimur, belli vices persequimini, certo certius, recentioribus praesertim diebus, in Napoleonis III, Gallo- rum regis, mentionem non semel incidistis, cuius fata Galli adhuc conqueruntur, et ulcisci, data occasione, satagunt. At vero mente ne unquam repetiatis quanam ratione tertius dictus sit Napoleon ille, qui revera secundus imperium tenuit a primo? Rem ita tradidit Kinglake, anglus. Reipublicae administris populo edixerant scriptis ante Kalendas Decembris an. MDCCCLII (quo tempore Napoleon omnia in suam potestatem redegit): « Si quis patriae consultit, huic adhaereat. — Io Napo- leon!!! sit illi vox ». Qui rem typis conficiebat

opifex, tria illa admirationis puncta tamquam numericas interpretatus est notas, ediditque: « Io Napoleon III ». Atque haec in civilibus, in armis, postridie Kalendas Decembris, fuit vox una pro Napoleone pugnantium; cui ora populorum brevi ita assueverunt, ut, ex iis facto iure, tale regi nomen proinde datum fuerit.

**

Sed iam tempus est ut ad Badaiocensem meum, qui adhuc, evoe!, mensarum parsimonia non tenetur, me convertam, eique mensstruum **fercularum indicem** de more suppeditem:

*Iusculum ex farinae flore concreto.**Pullastra elixa cum faselulis muriatice actis.**Pastillum ex oryza atque pisis.**Vitulinus lumbus assus, solanulis tuberosis ornatus.**Offae liquido cremo madefactae.*

**

Aenigmata.

I.

Cum furiunt imbræ *prior* horret et anxius
[haeret];
Scinditur at nubes, refracta en lumine solis,
Nunc alter rutilat, nunc en ridere *priorem*.
Totus rex vixit; moriens est bestia factus:
Nomine mutato, divinos sumpsit honores.

II (vulgo *Rebus*).

JCE

AM

BI

(Aenigmata in fasciculo mensis Martii proposita his respondent: 1] *Fumus*; 2] *Num-en*).

IOSFOR.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS. — ROMAE.

“Credito Centrale del Lazio ,”

Societas anonyma ex soluta summa libell. 500.000**ad decies centena millia libell. efferenda****oeconomicis Catholicorum Institutis Romae, in Latio eiusque provinciis conterminis
promovendis, dirigendis, adiuvandis, amplificandis**

Pecuniae sibi ad quotidianam computationem concreditaæ fenus rependit ad 2.50 % et 3 %. — Huiusmodi commercii rationes vel per litteras instituit.

Parsimoniae libellos emittit, sive inscripto possessoris nomine, sive cuique latoris liberos, cum fructu 3.50 %; et 4 % si de parva summa agatur.

Emittit pariter libellos vinculo adstrictos, neque non fructiferas syngraphas; quarum tamen de quaestu convenientendum est.

Exterorum nummos atque nummarias tesseras emit venditque.

Pecuniam per obligationis chirographa concedit, aliorumque nomine obligationis chirographa exigit.

Aes alienum, acceptis commercii tutis rationibus, solvit.

Operationes omnes, quae arcariae rei sunt, pro committentibus gerit; locaria repetit; vectigalia solvenda curat, etc

Sedes Princeps ROMAE, via dei Cestari, 21
Subsidiariae: ALATRIAE, BRACENI, FARAE SABINORUM, PRAENESTE, SUBLACI

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS